

excusari possit ab obligatione adorandi Christum, quia *in omnem terram exiit sonus eorum*. *Psalm. xviii*, v. 5. Repetitur ideo sæpius antiphona *Venite, adoremus*, ut confluant undique omnes. Gavant. et Merati, *loc. cit.*, num. 5; Durand., *l. c.*, num. 9, ubi etiam advertit quod dictus psalmus invitatorius dicitur ad septimam antiphonam, ad indicandum quod per baptismum datur Spiritus septiformis. Infra octavam vero dicitur *Domine, labia*, etc., invitatorium, et hymnus, quia jam supponitur Ecclesia de gentibus sufficienter instructa, et perfecta ad hymnos canendos, sicque invitatur ad ipsum in hymnis et laudibus adorandum. Durand., *loc. cit.*; Gavant. et Merati, *loc. cit.*, n. 4, et alii.

(30. Matutinum ultimi tridui majoris hebdomadæ incipitur absolute sine *Domine, labia*, etc., invitatorio, et hymno, ad obstruendum os Judæorum, potius quam laudes, et hymnos loquentium iniqua, et detestandam eorum invitationem ad conciliabula contra Christum. Sicque sine initio inchoamus Matutinum, et alias canonicas Horas et sine solito sine absolvimus, quia in Horis canonicis hujus tridui celebramus exsequias triduas mortis Christi, et quia Christus moritur, alpha et omega, principium et finis: Rupertus lib. 1, cap. 14, 24 et 25; Alcuinus, cap. *In cæna Domini*; Gavant. et Merati, *loc. cit.*, cap. 13, n. 4 et 5, ac alii.

(31. Ad Matutinum Paschatis, sicuti et ad alias Horas, non dicitur hymnus, usque ad Dominicam in Albis exclusive, quia tempus paschale significat statum beatorum, quorum hymnus est *Alleluia*: Durand., lib. vi, cap. 87, n. 2; Gavant., et Merati, *loc. cit.*, cap. 14, n. 2. Neque dicuntur capitula, quia in statu beatorum significato per tempus paschale, non est locus exhortationi, quæ continetur in capitulis: Gavant. et Merati, *loc. cit.*, n. 3, et alii. Dicuntur tantum tres antiphonæ cum tribus psalmis, ac tres lectiones cum tribus responsoriis, ad indicandum quod in nomine sanctissimæ Trinitatis institutum est baptismum, cujus formam post Resurrectionem suam Jesus Christus tradidit suis apostolis, dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti*. *Matth. xxviii*, 19. Unde ternarius dictus numerus denotat mysterium, siquidem Christus ante traditam baptismi formam, præmisit, ut supra, *Docete omnes gentes*, etc., scilicet mysterium Trinitatis, quod in ternario illo numero significatur; et quia *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt*, *I Joan. v*, v. 7, et quia *Isaia vi*, v. 3, ter dicitur *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, et semel *Dominus Deus exercituum*, seu *Dominus Deus Sabaoth*, hæc personarum divinarum Trinitas bene notatur in trino numero antiphonarum, psalmodiarum, lectionum et responsiorum. Unitas vero Deitatis bene significatur in uno solo Nocturno hac die et per octavam recitando, juxta illud S. Ambrosii lib. II *De fide, ad Gratian.*, c. 4: « Quid sibi

vult sub uno nomine Sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater, Filius, et Spiritus sanctus sanctitate unum sunt? Non dixit semel, ne Filium sequestraret. Non bis, ne Spiritum sanctum præteriret. Non quater, ne creaturam sibi conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse deitatem, cum tertio dixisset Sanctus, addidit singulariter Dominus Deus Sabaoth. » Sic colligitur ex Ruperto lib. VIII, cap. 2: Gavant. et Merati, *loc. cit.*, cap. 14, n. 1. Vel ad triduanam sepulturam fecolendam, ex qua ortum habuit Resurrectio Christi die tertia: Durand., lib. vi, cap. 86; Gavant. et Merati *loc. cit.* Vel ad significanda opera trium dierum, quæ Christus se promisit facturum in præsentis sæculo, *Luc. xii*, hoc est dæmonia ejicere, sanitates perficere, et consummari tertia die. Aut ad significandas virtutes fidei, spei, et charitatis, quæ in hoc mysterio maxime vigent: Amalar., lib. 1, c. 23; Gavant. et Merati, *loc. cit.*, *Hæc dies*, etc., loco prædictorum dicitur, et ritus hic desumptus est e psalmo, cui titulus est *Alleluia*; Rupertus, lib. VII, cap. 11; Gavant. et Merati, *loc. cit.*, n. 5. Et antiquum esse hunc ritum testatur ac firmat Gregorius VII in cap. 6, *in die 15*, dist. 5, *De consecrat.*, \* de quo cap. vide Berardum, in *Can. Gratiani*, part. II, cap. 82.

(32. Ad Matutinum Dominicæ in Albis resumuntur hymni, et plures psalmi sub unica tamen solum antiphona pro quolibet nocturno, ratione temporis paschalis, quod totum festivum est, et lætitiæ: ex *Ordin. Romano* hic, ubi additur ratio, dicendo quod deinde in sequenti tempore, quasi crescentium arborum frondes multiplicantur psalmi, et recoluntur mores boni diversorum operum per plures psalmos: et idem dicit de novem lectionibus in hac Dominica Gem. in lib. IV, c. 177. Sic Gavant. et Merati, *l. c.*, cap. 15, n. 1.

(33. Ad Matutinum Dominicæ Pentecostes, et per Octavam dicitur unum tantum Nocturnum cum tribus antiphonis, tribus psalmis, tribus lectionibus, et tribus responsoriis, ex *Ordine Romano*, et Gregorio VII, c. *in die 15*, dist. 5, *De consecrat.*, ut in Paschate resurrectionis. Et ratio est quia ex hoc ternario numero, ultra dicta pro die Paschatis, et per ejus Octavam, ostenditur Spiritum sanctum tria circa apostolos operatum fuisse, nam veteres innovavit, innovatos confirmavit, et confirmatos ad alios convertendos misit, ut exponit Durandus, *l. vi*, c. 167, sub n. 4, et sequuntur Gavant. et Merati, *loc. cit.*, c. 16, et alii.

(34. Hic juvat afferre prodigiosum eventum in Matutino, a B. Joanne Parmensi ministro generali totius nostri seraphici ordinis per solito una cum dæmonibus, Deo sic præcipiente, ipsum hospitio recipientibus. Cum sanctus generalis visitaret ultramontanæ provincias, contigit brumali tempore eum errore itineris tota die deviasse, atque in deserto mediisque silvis ingruentem no-

ctem sustinuisse. Unde ipse, et socii variis orationibus Deo, B. M. Virg. ac B. Patri Francisco se commendantes, audierunt pulsari campanam, quæ excitati magis in divinas laudes ad sonitum perrexerunt: et perventi ad monasticum sibi visum conventum, pulsato ostio, præsto obviam fiunt quasi ex conducto expectantes plures monachi, qui prompte receperunt hospites, ducunt ad ignem, lavant pedes, exsiccant vestimenta, apponunt cœnam, et sternunt lectos, omnia ministrant necessaria magna alacritate. Post primam vigiliam surrexit generalis ad orationem, et audita campana monachos ad Matutinum convocante; ad chorum cum ipsis convenit, relictis sociis, qui somno et fatigatione detinebantur. Officium incepturus hebdomadarius, nec consueta usus est cæremonia, nec ordine, nec versiculo *Domine, labia*, sed abruptum, et cum turbatione incepit ab illo versu *Psalm. xxxv*, v. 12: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*. Respondit chorus: *Expulsi sunt, nec potuerunt stare*. Tertio id ipsum repetitum, quod suspicionem ingessit fratri Joanni generali. Præcepit igitur in virtute Passionis Christi, et sanctissimi ejus nominis, ut oculos dicerent, quinam essent. Respondit qui abbatibus loco videbatur præesse omnes esse angelos tenebrarum, qui ex divino præcepto inviti missi sunt ad ministrandum ea nocte ipsi, et sociis, precibus, inquit, Matris Dei, et illius vexilliferi Patris vestri; quibus dictis, totum evanuit quod ibidem exstructum cœnebatur; se autem cum sociis nemoroso antro, atque in nuda humo invenit generalis, et excitatis sociis in laudibus divinis, reliquam noctem usque ad auroram, quæ jam instabat, vigiles duxerunt, et surgentes, iter progressi, ad conventum ordinis pervenerunt. Simile quid contigit in meritum obedientiæ duobus fratribus apud Perusium missis. Sic expresse refert Wadingus novissime Romæ impressus, typis Rochi Bernabo, tom. III, fol. 172, n. 5, ad annum Christi 1247.

(35. Attendendæ sunt sequentes resolutiones. In una enim *Mutinesi* sub die 12 Novembr. 1644, sacra cong. Concil. censuit petitam facultatem recitandi Matutinum,

esse oratoribus concedendam post Completorium præcedentis diei, pro arbitrio tamen episcopi, et dummodo lapsa sit hora tertia post meridiem. (36. Et semper requiri arbitrium, seu licentiam episcopi, habetur novissime decisum a Benedicto XIII in suo Brevi, sub die 8 Julii 1726, contra capitulum Papiense. (37. *In Interamnen*. sub die 25 Maii 1674, fuerunt ab episcopo proposita, et a sacr. congr. Conc. resoluta sequentia dubia.

In visitatione suæ cathedralis ecclesiæ reperit dominus episcopus Interamnenensis nonnullos abusus circa servitium chori, quos cum eliminare cupiat, supplex quærit ex hac sacr. congregat. An tolerandum sit:

*Primo*, quod diebus festis Matutino præsentibus habeantur; ac proinde punctis non multentur, qui, non nisi absoluto primo Nocturno, videlicet post psalmos tres, totidemque lectiones recitatas, choro intersint?

*Secundo*, diebus vero ferialibus, qui, non nisi absolutis sex psalmis?

*Tertio*, quod sacris processionibus distributiones assignatæ non sint, sed contra contumaces poena duntaxat trium librarum ceræ constituta, quæ nunquam exigi consuevit.

*Quarto*, et an præarratus modus interveniendi possit etiam ratione consuetudinis immemorabilis tolerari?

Sacra, etc., ad primum respondit non esse tolerandum; idem ad secundum respondit; ad tertium respondit exigendam esse poenam præscriptam; ad quartum, non suffragari contrariam consuetudinem.

(38. \* Matutinum non est segregandum a Laudibus sine causa, quæ optima suppetit Ecclesiæ sejungenti Matutinum a Laudibus nocte Natalis Domini. *Instit. Eccles. 24*, § 9.

(39. Peccat etiam venialiter, qui sine legitima causa horam non servat, ut ex D. Thoma, *ibid.*, § 9.

(40. Hora recitandi Matutinum die præcedenti incipit post exactas tres quartas partes diei, ut in Calendario Romano adnotatum est. *Ibid.*, § 10.

Alia ad rem, vide verb. OFFICIUM DIVINUM \*.

#### MEDICUS.

#### SUMMARIUM.

1. Medicus tenetur ante omnia suadere infirmis confessionem peccatorum. — 2. Medicus nullus potest doctoratum accipere, nisi juret se observaturum, quod ultra tertium diem non visitabit infirmum, nisi hic vocet ad se confessorium, nisi rationabilis causa excuset. — 3. Et si ultra tertium diem continet visitationem, et curam infirmi nondum confessi, subjaceat excommunicationi majori latæ sententiæ Summo Pontifici, et episcopis locorum privative, et respective reservatæ, aliisque gravissimis pœnis. — 4. Medici et chirurgi a communitate conducti tenentur gratis curare ecclesiasticos utriusque cleri, prout alios cives. — 5. Non solum personæ ecclesiasticæ, sed nec etiam alii viventes earum expensis, et in earum domibus tenentur ad contributionem pro salario medici. — 6.

Medici tenentur curare gratis pauperes infirmos. — 7. Medici sive physici, sive chirurgi non possunt inire societatem cum aromatariis. — 8. Medici Judæi non possunt a Christianis vocari in suis infirmitatibus, nisi nullus adsit, vel excellens sit aliquis in eis. — 9. Medicus confugitus exiens ad curandum ordinarium sub cautione sibi ab ipso facta, debet omnino restitui. — 10. Medicus inquisitus compositionis venenatæ, ac multis propinatæ, mandante Sanctissimo, extrahitur ab Ecclesia, et retinetur in carceribus nomine Papæ. — 11. In causa mortis ex veneno secutæ Sanctissimus dat facultatem examinandi sacerdotem medicum, et consignandi examen curiæ sæculari absque incurso irregularitatis. — 12. Medicus monialium non debet esse minor quinquaginta annis, ubi medicorum penuria non adest. — 13. Medici et chirurgi ordinarii debent habere licentiam generalem ingrediendi elausuram.



de nocte in casibus urgentis necessitatis, in aliis non ordinariis requiritur specialis. — 14. Debent tamen associari, eisque assisti cum infirma tractantibus. — 15. Medicus extraordinarius permitti non debet monialibus, nisi in gravi infirmitate. — 16. Et quando ordinarius non invenit remedium, vel est impeditus, ad num. 17. — 18. In casu, quo episcopus, ex aliqua rationabili et honesta causa, extraordinarium concederet, medicamenta necessaria ab eodem ordinata solvenda erunt a monasterio, non autem a monialibus quæ opera medici extraordinarii usæ fuerunt. — 19. An, et quando clerici, et religiosi possint exercere artem medicinæ, et chirurgiæ? *remissive*. — 20. Medicus peritus promoveri potest ad sacros ordines, si conscientiam habet, quod ex sua causa aliquis non sit mortuus; secus autem, si de morte alicujus ex sua causa eum sua conscientia remordeat. — 21. Medicus tenetur sub gravi obligatione habere sufficientem scientiam, sive peritiam. — 22. Medicus in medicamentis applicandis tenetur sub gravi sequi sententias certas et securas, relictis incertis et dubiis. — 23. Si autem medicamenta certa, et securo non occurrant, debet applicare probabiliora et tutiora. — 24. Potest tamen medicus per accidens applicare medicamenta minus tuta, si nempe infirmus non possit, aut nolit medicamenta pretiosa solvere. — 25. Medicus gravissime peccat, si solum experiendi gratia incerta et inexplorata medicamenta applicet infirmo. — 26. Si autem infirmus extreme laboret, et nulla sit spes de ejus salute, nec adsit nisi remedium dubium, tunc, accedente consensu ipsius

(1. Medicus tenetur ante omnia suadere infirmis confessionem peccatorum, alias ipse medicus ab Ecclesia arceatur; c. *Cum infirmitas* 13, De pœnit. et remissionib., et novissime id innovavit, et statuit Benedictus XIII in Concilio Romano celebrato an. 1725, tit. 32, De pœnitent. et remissionib., cap. 1.

(2. Medicus nullus potest doctoratum accipere, nisi juret se observaturum, quod ultra tertium diem non visitabit infirmum, nisi hic vocet ad se confessarium, nisi rationabilis causa excuset: S. Pius V, const. 3, incip. *Super gregem*, innovata a Benedicto XIII, loco citato. (3. Et si ultra tertium diem continuet visitationem et curam infirmi nondum confessi, subjacet excommunicationi majori latæ sententiæ, Summo Pontifici, et episcopis locorum privative, et respective reservatæ; possuntque puniri etiam aliis gravissimis pœnis: S. Pius V, in citat. constit. incip. *Super gregem*, et Benedict. XIII, in cit. concil. Romano tit. 32, De pœnit. et remissionibus, in Appendice ad ipsum concilium Romanum, § 28, *Ordini, ed Avvertimenti intorno all' obbligazione de' medici nella cura spirituale degl' infermi*, ubi plura ad rem.

Itaque mandata ipsa, ac monita ad litteram lectorum commodo hic referre placet: « La ineffabile bontà del Signore, il quale ad tit. *De pœnit. et remission.*, non vult mortem impij, sed ut convertatur a via sua, et vivat (*Ezech. xxviii, 11*) se chiama in ogni tempo gli huomini a penitenza, con sovrabondanza però di amore, li ricerca oppressi dalle malattie, quando *super emanatione sue bonitatis* (allo scrivere del grande Areopagita) *ad se revocat, et convertit*; lib. vi *De div. nominib.*, per render loro non men del corpo,

infirmi, vel ejus consanguineorum, potest medicus illud applicare. — 27. Medicus potest, vel non, applicare prægnantibus ea remedia quæ possunt, vel non, licite sumere ipsæ prægnantes, *remissive*. — 28. Medicus graviter peccat, si suadeat infirmo aliquod remedium Dei honori, vel præcepto contrarium. — 29. Medicus de se nullam habet facultatem dispensandi in jejuniis, vel in esu carniarum; etsi facile, et sine necessitate declaret aliquem non obligari ad jejunium, seu ad abstinendum carniarum, peccat graviter. — 30. Medicus quando peccet, vel non, abstrahendo eos qui alios frequentant? *remissive*. — 31. Medici sunt honorandi, et expenditur quo sensu pœna sit incidere in manus medici. — 32. De medicis attestationibus quoad relaxationem jejunii Quadragesimæ, etc., ad num. 35. — 36. Laici artem medicam vel chirurgicam exercentes ex præscripto suæ artis, etiamsi aliquis ægrotus obierit, non incurrunt irregularitatem: attamen in promotione ad sac. ordines petunt, et obtinent dispensationem ad cautelam. — 37. Sacros vero ordines jam obtinentes, vel etiam minores cum beneficio ecclesiastico, ex præscripto sacerdotum canonum necessario debent petere indultum, si medendi artem velint exercere, etc. — 38. Quid de regular. missionariis, vel curam hospitalium habentibus: ad n. 40. — 41. Alia notanda ad rem quoad clericos, et regul. ad n. 45. — 46. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ubi de medicor. salario, ad num. 55. — 54. — \* *Item Addit. Cas. ubi nonnulla notata digna*, ad n. 59.

che dell' anima la perdita salute. Ma perchè sommo mancamento de' pastori della Chiesa sarebbe non cooperare con Dio a prò della salute delle anime, per ognuna delle quali lo stesso eterno Pastore, nel darne loro la cura, volle malleatrice la lor propria, dicendo per bocca di Ezechiello: *Impius, si in iniquitate sua moriatur, sanguinem ejus de manu vestra requiram; loc. cit., v. 6*, ricorda perciò la Santità di Nostro Signore a tutti i vescovi, il conoscersi talor più obbligati, e con ispeziale vigilanza dover'essi attendere alla santificazione di quelle, quando più prossimo si tema il pericolo di perderle eternamente. Ed accadendo ciò spesse volte, allorchè, non facendosi sul principio conto de' malori, per gli quali l'huomo infermato si pone a letto, vien impensatamente ad aggravarsi il morbo, e l'infermo o non può affatto confessarsi, e piangere i suoi peccati, o sbalordito dalla febbre accresciuta, confuso, e quasi mezzo morto, si confessa sì, ma Dio sà, se colle dovute disposizioni; muore in fine l'ammalato, senza haver di proposito provveduto allo stato eterno dell' anima sua, contro l' avviso dello Spirito santo, proposto ad ognuno dall' *Ecclesiastico: Confiteberis vivus, et sanus confiteberis, et laudabis Deum, et gloriaberis in miserationibus illius; cap. xvii, v. 27*, e quell' altro: *Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam, cap. xviii, v. 21*.

« Inerendo quindi Sua Santità alla costituzione del concilio generale Lateranense, celebrato sotto Innocenzo III, nel 1215 alla bolla di S. Pio V emanata agli 8 di Marzo del 1566, ed à quanto si è presentemente inculcato in questo concilio Romano, sotto il

titolo *De pœnitentiis et remissionibus*, espressamente ordina, ed altrettanto vuole, che uniformemente eseguano, e facciano eseguire i vescovi, e gli altri ordinari de' luoghi nelle proprie diocesi.

« I. Che tutti medici, così fisici, come ce-rusici di Roma, e di qualunque città, e diocesi, nel primo giorno, che visiteranno l' infermo, giacente in letto per qua sivoglia infermità (eccetto quando fosse podagra, o altra indisposizione, che da se stessa non ricercasse il letto), debbano primieramente ammonire l'infermo medesimo, perchè chiami il medico spirituale, e si confessi sacramentalmente, affinchè, curata l'anima, si proceda con più salutevole profitto alla curagione del corpo, giusta il cap. *Cum infirmitas*, del sovracitato titolo.

« II. A tal' effetto non lascia anche la Santità Sua di ammonire, ed esortare i congiunti, i domestici, famigliari, e gli amici dell' infermo, acciocchè avvisino subito il proprio parrocho; e questi unitamente con loro persuada, ed induca con parole efficaci, e caritative l'infermo decumbente a confessarsi de' suoi peccati in istato più comodo, e profittevole non men all'anima, che al corpo.

« III. Che i medici, scorgendo nel secondo giorno non essersi l'infermo già confessato, debbano ammonirlo di nuovo, et minacciar-gli, che non ritorneranno più a medicarlo, se nel giorno seguente non sarà loro presentata la fede della di lui confessione, sottoscritta dal confessore.

« IV. Che ritornando nel torzo giorno, e non presentandosi loro la sudetta fede, debbano gli stessi medici, sotto pena della scomunica maggiore di lata sentenza, al Sommo Pontefice, ed a' vescovi de' luoghi privatamente, e rispettivamente riservata, e di essere inoltre dichiarati perpetuamente infami, privi affatto del grado della medicina, discacciati, ed esclusi dal collegio de' medici, e puniti anche con pena pecuniaria ad arbitrio, onninamente lasciar di fatto la cura dell' infermo, sino, che non costi ad essi, col mezzo della sudetta fede del confessore, o di esser quello già confessato, o che il parrocho o altro padre spirituale non testimoni, anche in iscritto, havergli per qualche motivo ragionevole (su' quale si grava la lor coscienza) conceduto altro determinato tempo a far la di lui confessione; dopo il quale, non havuta la detta fede, sian tenuti, sotto le prescritte pene, lasciar nuovamente la cura.

« V. Ed acciocchè, intorno al dar fuori la precettata fede, non si manchi da' confessori, con pregiudizio degli ammalati, e con iscusca de' medici, ordina Sua Santità a tutti i confessori, anche regolari, di qualunque ordine, o istituto, essi siano, eziandio della Compagnia di Gesù, sotto pena, riservata pur rispettivamente alla Santità Sua, ed a' vescovi de' luoghi, della sospensione *ipso facto* dall'udir le confessioni, che subito senza far passare lo stesso giorno, lascino in mano dell' infermo, o di chi in casa gli

assiste, la fede, o il testimoniale d'aver' egli udito la confessione di tale infermo, o della proroga da essi concedutagli, di farla in altro tale giorno determinato.

« Finalmente in esecuzione di quanto qui si prescrive, desidera la Santità Sua, che da ciascun vescovo se ne formi editto particolare, da pubblicarsi nella propria diocesi: dopo la di cui pubblicazione, sotto le pene, ed arbitrio de' medesimi vescovi, vuole ancora Sua Santità, che da essi si astringano, col mezzo del giuramento tutti i medici alla precettata osservanza, la quale in somma non contiene, che un sommario della riferita bolla di S. Pio Quinto \*.

F. A., arcivesc. vesc. di Avellino, e di Frigento segretario del concilio.

(4. Medici, et chirurghi a communitate conducti tenentur gratis curare ecclesiasticos utriusque cleri, prout alios caves, sive salarium recipient ex redditibus publicis, sive ex contributione taxæ per communitatem impositæ. In hoc tamen secundo casu potest ordinarius permittere ut per ecclesiasticos detur annua contributio, seu recognitio voluntaria et proportionata. Sac. congreg. Immunitatis in *Amalphitana* 9 Decembr. 1631, lib. II *Decr. Paulucc.*, pag. 103; in *Spoletana* 23 Augusti 1633, lib. II *Decret. Paulucc.* pag. 169; in *Pampilonen.*, 9 Octobris 1635, lib. II *Decr. Paul.*, p. 236; in *Nazarena* 5 Apr. 1661, lib. *Decr. Rocci*, p. 329, et plura alia decreta refert ad rem Pignatell. tom. III, cons. 25, n. 5.

(5. Non solum personæ ecclesiasticæ, sed nec etiam alii viventes earum expensis, et in earum domibus, tenentur ad contributionem pro salario medici. Eadem sacra Congr. Immunit. in *una civitatis Castellana* 12 Decemb. 1645, lib. III *Decr. Paulucc.*, p. 266; in *Ariminen.* 4 Maii 1700, l. II *Decr. Altoviti*, p. 286; Pignatell., cit. consult. 25, n. 5.

(6. Medici tenentur ex præcepto charitatis gratis curare pauperes infirmos. *Glossa* communiter recepta, in cap. *Si quis 1*, dist. 83, verb. *Inferas*, ibi: « Medicus gratis tenetur curare pauperem infirmum, quia plus debet valere vita illius, quam propria pecunia. » S. Antoninus III part., tit. 7, c. 1, § 1; ibi: « Pauperibus non valentibus solvere, gratis mederi debet, et non se ab eorum cura abstrahere, quia hoc esset indirecte occidere; mortem enim probatur languentibus inferre, qui hanc, cum potest, non excludit: » quod Sanctus collegit ex distinct. 83, § *Providendum*.

(7. Medici sive physici, sive chirurghi non possunt inire societatem cum aromatariis. Gregor. XIII, constit. incip. *Cum officio*.

(8. Medici Judæi non possunt a christianis vocari in suis infirmitatibus, nisi nullus alius adsit, vel excellens sit aliquis in eis; et hoc præceptum a parochis curandum est observari, et quolibet anno decretum hoc est publicandum. Concil. Sabinen., cap.